

res literas, & in eis contenta quacunq[ue] exequantur, & executioni mandari, & observari ab omnibus curent, & inobedientes quoscunq[ue] per sententias, censuras, & poenas, aliaque juris, & facti remedia, appellatione postposita, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, omnino compellant. Volumus autem, ut presentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostense. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostram Constitutionem, & Ordinationem infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto, quindecimo Kalendas Martii, Pontificatus nostri Anno decimo.

Sequitur concinatio Constitutionis Clem. XI. ubi referitur tria essentia iniquitatum hominum.

1. Similia interpretatio Brevis Clem. IX. & Jan. XII.

§.7. Sic equidem causa finita est; non tamen sic, ut par erat, finitus est error, Apostolico toris mucrone percussus: Neque enim de facere, nec adhuc desunt, homines veritati non acquiescentes, & nunquam Ecclesiae contradicendi finem facientes: qui variis distinctionibus, seu potius effugis ad circumventionem erroris excogitatis, Ecclesiam ipsam turbare, eamque interminatis quaestionibus, quantum in ipsis est, involvere, & implicare conantur: quod deterius est, ipsamet Apostolicae Sedis decreta redarguendis eorum pravis sensibus condita, ac praesertim quaedam pie memorae Clementis Papae IX. die 19. Januarii 1669. ad quatuor Galliae Episcopos, necnon binas similis memorae Innocentii Papae XII. eiam Praedecessorum nostrorum die 6. Februarii 1694. & die 24. Novembris 1696. ad Episcopos Belgii in forma Brevis respective datas literas, in erroris sui patrocinium advocare, temerario plane ausu, non erubescunt: Perinde ac si memoratus Clemens Praedecessor, qui eisdem suis literis se Innocentii X. & Alexandri VII. Praedecessorum Constitutionibus supradictis firmiter inherere, ac a dictis quatuor Episcopis veram, & totalem obedientiam, adeoque Formulam a praefato Alexandro Praedecessore, sicut praemittitur, editae sincere per eos subscribi voluisse declaravit, aliquam in tam gravi negotio exceptionem, seu restrictionem, quam nullam prorsus se unquam admitturum fuisse protestatus fuit, re ipsa admisisset: dictus vero Innocentius XII. Praedecessor, dum sapienter, ac provide praedictas quinque propositiones ex memorato libro Jansenii excerptas in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba exhibent, ac praeferebant, damnatas esse pronuntiavit, non de ipsomet obvio sensu, quem in Jansenii libro habent, quive ab eodem Jansenio intentus, ac a praefatis Innocentio X., & Alexandro VII. Praedecessoribus damnatus fuit, sed de alio quopiam diverso sensu cogitasset, dictaque Innocentio X. & Alexandri VII. Praedecessorum Constitutiones temperare, restringere, aut alio quovis modo immutare voluisset ipsam ipsas literas, quibus eas in suo robore fuisse, & esse, seque illis firmiter inherere verbis apertissimis asserbat.

§.8. Praeterea iidem iniqui homines sparsis undequaque scriptionibus, ac libellis, exquisita ad fallendum arte compositis, non sine gravi Apostolicae Sedis injuria, maximoque totius Ecclesiae scandalo docere non sunt veriti: Ad obedientiam praefatis Apostolicis Constitutionibus debitam non requiri, ut quis praedicti Janseniani libri sensum in antedictis quinque propositionibus, sicut praemittitur, damnatum, interius, ut haereticum, damnet; sed satis esse, si ea de re obsequiosum (ut ipsi vocant) silentium teneatur. Quae quidem assertio, quam absurda sit, & animabus Fidelium perniciofa, satis apparet, dum fallacis hujus doctrinae pallio non deponitur error, sed absconditur: vultus tegitur, non curatur; Ecclesia illudrit, non paretur; & lata demum filis inobedientiae viaster nitur ad fovendam silentio haesim; dum ipsam Jansenii doctrinam, quam ab Apostolica Sede damnatam Ecclesia Universalis abhorruit, adhuc interius abjicere, & corde improbare detrectant.

§.9. Quin etiam eo impudentiae nonnullos devenisse compertum est, ut veluti naturalis honestatis, nedum Christianae sinceritatis obliti, asserere non dubitarent praefatae formulae a memorato Alexandro Praedecessore praescriptae subscribi licite posse, etiam ab iis, qui interius non damnant, uti haereticam Jansenii doctrinam.

§.10. Hinc est, quod Nos ad opportunum, & efficax tam exitiali morbo, qui ut cancer serpit, & quotidie in deterius vergit, remedium adhibendum, non minus demandatae Nobis omnium Ecclesiarum sollicitudinis debito, quam plurimorum Venerabilium Fratrum nostrorum diversarum partium, ac praesertim Regni Galliarum, Episcoporum zelo, ac precibus excitati, ne hujusmodi pravi homines Catholicae Ecclesiae pacem subvertere impune pergant, & simplicium, ac pusillorum mentibus imponere, docentes, quae non oportet; neve ullus, apud eos quoque, qui bona, ut ajunt, fide, ac falsis rumoribus decipi se fortasse patiuntur, de mente, ac sententia Apostolicae Sedis amplius ambigendi superstit locus; Divino prius tam privatis nostris, quam publice indictis precibus, implorato praesidio, ac re mature discussa, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, auditisque complurium in Sacra Theologia Magistrorum suffragiis; primo quidem praesertim Innocentii X. & Alexandri VII. Praedecessorum Constitutiones, omniaque, & singula in eis contenta auctoritate Apostolica, tenore praesentium, confirmamus, approbamus, & innovamus.

§.11. Ac insuper, ut quavis in posterum erroris occasio penitus praecidatur, atque omnes Catholicae Ecclesiae filii Ecclesiam ipsam audire, non tacendo solum (nam & impij in tenebris conticescunt) sed, & interius obsequendo, quae vera

Non opus est, ut quis interius damnet sensum Jansenii, sed sufficit silentium obsequiosum.

Licet subscribi posse praenotatam formulam ab iis, qui interius non damnant, uti haereticam Jansenii doctrinam.

Causae praesentis Constitutionis.

Confirmatio, & innovatio relatam Constitutionum.

Declarationes, quibus de cernitur Paris non esse obsequiosum silentium, vel vera

balem condemnationem s. propositionum.

Clausula.

Dat. 15. Sept. 1705. An. 5.

Jan. XII Const. ed. 1698, Nov. 10, P. 8. confirmatus fuit usus librorum Divini Officii.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper pro parte dilectorum filiorum Fratrum Provinciae S. Evangelii Mexican. in Indiis Occidentalibus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita exposito, quod alias in Capitulo Generali dicti Ordinis in hac Alma Urbe Anno 1700. celebrato pro bono regimine spirituali, & temporali omnium Provinciarum Indiarum dicti Ordinis, ac ad occurrendum incommodis, & gravibus malis, quae oriebantur ex instabilitate Ceremoniarum, & Rituum, quos Commissarii novae Hispaniae, & Regni Peruviani Ordinis praedicti Ritibus propriae alteriusque Provinciae conformare nitentur, sancitum, ac sub privationis Officii poena dictis Commissariis injunctum fuerat, ut, permitterent, Provincias vivere juxta suas laudabiles Ceremonias, & Ritus in his, quae non erant contra Sanctae Sedis praescriptum, nec ea quomodo innovare, aut alterare attentarent, decernendo irritum, & inane quidquid in contrarium fecissent, committendo insuper pro tempore existenti Ministro Generali, & Commissario itidem Generali Indiarum dicti Ordinis in Oppido Martii pro tempore commoranti, ut Statutum hujusmodi inviolabiliter observari facerent, & alias, prout in dicto Statuto uberius dicebatur contineri. Subinde vero ad instantiam tunc etiam existentium Fratrum dictae Provinciae, ac etiam de ejus Superiorum iussu hujusmodi Ceremoniae, & Ritus per dilectum filium Isidorum Alphonsum de Castanea Fratrem dicti Ordinis expresse professum in septem paragraphos, quibus titulus: *Manuale Ceremoniarum Provinciae Sancti Evangelii de Mexico* juxta ordinem praedicti Capituli Generalis collectae fuerant. Et in eadem expositione subjuncto, quod verebatur, ne temporis decursu praemissa ab aliquo Superiore, non sine gravi dictae Provinciae spirituali, temporalique iactura moderarentur, aut innovarentur: Ideoque ipsi Exponentes quo Statutum, seu Decretum hujusmodi perpetuo servaretur, nec illud ullo unquam tempore a Superioribus dictae Provinciae, nisi de ejus consensu immutaretur plurimum cupiebant, Decretum hujusmodi una cum dictae Provinciae ceremoniis, sicut praemittitur, congestis, auctoritate dictae Congregationis Cardinalium confirmari. Emanavit ad eorum supplicationem ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Sac. Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita, audito Patre Procuratore Generali Ordinis, & attentis narratis petitam confirmationem Oratoribus benigne concessit. Romae VII. Aug. MDCCV. N. Card. Acciajulus: Loco + Sigilli.

A Capitulo Gener. 1700. permisso fuit ut singula Provinciae Indiarum suis ceremonias servarent.

Hinc conditi fuit praed. Ceremoniae.

Decretum Congregationis illud approbans.

Preces Fratrum Provinciae.

vera est Orthodoxi hominis obedientia, condiscant: hac nostra perpetuo valitura Constitutione: Obedientiae, quae praesertim Apostolicis Constitutionibus debetur, obsequiosum illo silentio minime satisfieri; sed damnatum in quinque praefatis propositionibus Janseniani libri sensum, quem illarum verba praeserunt, ut praefertur, ab omnibus Christianis, ut haereticum, non ore solum, sed & corde rejici, ac damnari debere; nec alia mente, animo, aut credulitate supradictae Formulae subscribi licite posse: itaut qui secus, aut contra, quoad haec omnia, & singula, senserint, tenuerint, praedixerint, verbo, vel scripto docuerint, aut asseruerint, tanquam praefatarum Apostolicarum Constitutionum transgressores, omnibus, & singulis illarum censuris, & poenis omnino subiaceant, eadem auctoritate Apostolica decernimus, declaramus, statuimus, & ordinamus.

§.12. Decernentes pariter easdem praesentes, & praesentis literas semper, & perpetuo validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere. Sicque per quoscunq[ue] Judices Ordinarios, & Delegatos ubique judicari, & deserviri debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate: ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.13. Quocirca Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, necnon haereticae pravitatis Inquisitoribus, & Judicibus Ecclesiasticis, ad quos pertinet, committimus, & mandamus, ut singulis in suis respective Dioecesibus, ac locis suae jurisdictioni subiectis, ipsas praesentes literas, & in eis contenta quacunq[ue] exequantur, & executioni mandari, & observari ab omnibus curent, & inobedientes, & rebelles quoscunq[ue] per censuras, & poenas praefatas, aliaque juris, & facti remedia, appellatione postposita, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, omnino coerceant, & compellant.

§.14. Volumus autem, ut earundem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostense.

§.15. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae Confirmationis, Approbationis, Innovationis, Decreti, Declarationis, Statuti, & Ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quinto, decimo septimo Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno quinto.

LXXVII.

Confirmatur Decretum Congregationis Episc. & Regularium approbans Ceremoniale Provinciae de Mexico Ordinis Minorum de Observantia.

confirmationis nostrae patrocinio communi summopere desideret: Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratis profecti volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliique Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praesentium auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolica firmitatis robur adjicimus; Salva tamen semper in praemissis auctoritate d. Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti

Clausula

§.2. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quomodocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.3. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Provincialium, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XV. Septem. MDCCV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

LXXVIII.

Dat. 28. Sept. 1705. An. 5.

Conceditur facultas mittendi Discretum, & Juvenes Provinciae Aquitaniae Antiquioris Ordinis S. Francisci de Observan. ad Cenobium Parisiense.

Pro restitutione hujus facultatis a Clem. X edita fuit Const. ed. 1672, Oct. 18. Et hujus Pontificis Constit. ed. 1708, Dec. 18, P. 9. praecipitur executio Constitutionis Clem. X.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futur. rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Philippus Faure Exdiffinitor Generalis, & Minister Provincialis Provinciae Aquitaniae Antiquioris Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci

de Observantia nuncupatorum, quod a nonnullis annis per quasdam sel. rec. Clementis PP. X. Praedecessoris nostri desuper in simili forma Brevis expeditas literas ad instantiam tunc existentis Ministri Provincialis dictae Provinciae nomine Joannis Jourdain prohibuitur fuit, ne Discretus, & Studentes ejusdem Provinciae ad Magnum Parisiensem Conventum dicti Ordinis amplius mitterentur, eo quod Regularis Observantia in illo minime vigeret, indeque timeretur, ne ad Provinciam praedictam transactis Studiis redeuntes ab ipsa Regulari Observantia aliquo modo declinarent.

§.1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, reformatio in praedicto Conventu Parisiensi, a tunc pariter existente Ministro Generali Ordinis praedicti introducta fuerit, necnon ibidem Regularis Observantia hujusmodi de praesenti vigeat, cessetque proinde talis praetextus, neque simile periculum amplius sit timendum, ac propterea dictus Philippus Exdiffinitor Generalis, & Minister Provincialis Provinciam praedictam in suum Jus, quo ante emanatas literas praedictas pacifice, & absque ulla controversia fruebatur, restitui, eique facultatem mittendi Discretum, & Studentes more solito ad eundem Conventum Parisiensem concedi plurimum desideret, & pro Juris hujusmodi restitutione a praedicto Clemente Praedecessore alia itidem in forma Brevis literae die 18. Octobris 1672. expeditae ob legitima tamen impedimenta executioni demandatae minime fuerint. Nos ipsius Philippi Exdiffinitoris Generalis, & Ministri Provincialis votis hac in re, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliique Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum, qui relationem dilecti etiam filii moderni Procuratoris Generalis dicti Ordinis audiverunt, consilio, Superioribus Regularibus, ad quos ceteroqui juxta praescriptum ejusdem Ordinis Constitutionum pertinet, ut Discretum, & Juvenes ad praefatum Conventum Parisiensem, prout ante primodictarum in forma Brevis literarum expeditionem consueverant, Studiorum causa mittere possint, & valeant, facultatem auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, & impartimur.

§.2. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari: Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum

A Clem. X. verum fuit, ne praedicti ad Cenobium Parisiensem amplius mitterentur.

Rationes, & necesse Provin. ialis pro restitutione d. facultatis.

Concessio praed. Facultatis.

Clausula

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Septembris MDCCV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

LXXIX.

Dat. 20. Nov. 1705. An. 5.

Unitur Provinciae Italiae Fratrum Discalceat. SS. Trinitatis Redem. Captiv. Congregationi Hispaniae.

De subjectione hujus Provinciae Ministro Gen. vide Dyb. III Const. ed. 1629, Sep. 12. Et de nova erectione Provinciae Bened. XIII Const. ed. 1727, Aug. 14, P. 4.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Refertur institutio dictae Provinciae.

Exponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Amedeus de Sanctis Frater expresse professus, ac Procurator Provinciae Italiae Fratrum Discalceatorum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, quod cum alias tunc existentes Fratres Discalceati trium Conventuum Italiae dicti Ordinis, ob defectum regularis observantiae, aliique justis, & rationabilibus de causis in Congregatione tunc pariter existentis S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita probatis, & justificatis, proprias obligationes nequaquam adimplere, minusque aliquos sine in spiritualibus, sive in temporalibus religiosos progressus facere valerent, seque proinde Congregationis Hispaniae Fratrum Discalceatorum ejusdem Ordinis uniri petissent, & successive Superiores dictae Congregationis consensum unioni hujusmodi praestitissent, ac deinde iidem Fratres Discalceati Provinciae praefatae supplicem libellum sel. rec. Innocentio Papae XI. Praedecessori nostro pro unione hujusmodi obtinenda portexissent, isque ab ipso Innocentio Praedecessore ad dictam Cardinalium Congregationem, & ab eadem Congregatione ad bon. me. Alderannum S. R. E. praefatae Cardinalium Cybo nuncupatum dicti Ordinis, dum vixit, apud eundem Innocentium Praedecessorem, & Sedem Apostolicam Protectorem remissus fuisset, dictus quidem Alderannus Cardinalis, & Protector suum pro dicta unione votum iustum de causis unacum eo relatis praefatae Congregationi Cardinalium exhibuit; verum cum die quinta Maji MDCXC. causa in ipsa Cardinalium Congregatione proposita fuisset, dilato circa dictam unionem negotio, emanavit ab eadem Congregatione Decretum, quo pro tunc ex tribus Conventibus praefatis constituta fuit separatio, supradictae nempe Italiae Provinciae, quorum Conventuum Religiosi sub obedientia Ministri Generalis dicti Ordinis juxta formam tamen in quibusdam rec. mem. Urbani PP. VIII. Praedecessoris pariter nostris literis in simili forma Brevis die 12. Septembris 1629. expeditis praescriptam permanent.

Causa praed. unionis, & praes. Procuratoris Provinciae.

§.1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti Religiosi observantiam Constitutionum dictae Congregationis Hispaniae in solemnium eorum Regulari professione expresse promiserint; adeoque eas observare teneantur; illa vero ipsos ad subjectionem pro tempore existentem

Ministro Generali ejusdem Congregationis Hispaniae omnino obligent, ipsique proinde, quo facilius vota sua Altissimo reddere, & propria Instituta regularia adimplere valeant, memoratae unionis gratiam summopere expectant. Nobis propterea dictus Amedeus humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§.2. Nos igitur ipsius Amedei votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliique Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris dictae S. R. Eccl. Cardinalibus super causa hujusmodi unionis dictae scilicet Provinciae Italiae, omniumque ejus Religiosorum praefatae Congregationi Hispaniae inter eundem Amedeum ex una, & Dilectum etiam filium Vincentium Coppolam Procuratorem Generalem dicti Ordinis ex altera partibus controversa a Nobis specialiter deputatorum, qui ipsos Amedeum, & Vincentium Procuratorem Generalem, tam ore, quam scriptis informantes audiverunt, negotioque mature perpenso, justis, ac rationabilibus de causis unionem praefatam fieri posse censuerunt, consilio praefatam Provinciam Italiae dictae Congregationi Hispaniae, auctoritate Apostolica, tenore praesentium unimus, conjungimus, annectimus, & incorporamus, ac Dilecto Filio Moderno, & pro tempore existentem Ministro Generali ejusdem Congregationis subjicimus.

Unio praed. Congregationis

Clausula

§.3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quomodocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus praemissis, ac memorati Urbani Praedecessoris super erectione Congregationis reformatae Fratrum pariter Discalceatorum dicti Ordinis, & quibusdam nostris, etiam in simili forma Brevis die 18. Aug. 1703. super unione, seu confirmatione Capitularum unionis totius ejusdem Ordinis respective emanatis literis, aliique Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon praefatae Congregationis Cardinalium Decretis, ac Provinciae Conventuum, Congregationum Hispaniae, & Reformatae, & Ordinis praefatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores pra-

presentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad premissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earundem presentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra adhibeatur, quae presentibus ipsis adhibetur, si forent exhibitae, vel ostense.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die XX. Nov. MDCCV. Pontificatus nostri Anno Quinto.

LXXX.

Mandatur Provinciali Fratrum Minorum Discalcei: Provinciae Mexican., quod juri praecedendi Fratris Eremitae S. Augustini absque consensu Diffinitorii, & Discretorii nuncium remittere nequeat.

Hujusmodi jus concessum fuit ab Innoc. XII. Const. ed. 1700, Apr. 13, P. 9. Et postea confirmatum ab hoc Pontif. Const. ed. 1702, Novem. 24, P. 3. Et Const. ed. 1714, Oct. 6, P. 14: agitur de primatu inter Fratres Clericos, & Laicos Provinciae Beticae.

Dilecto Filio moderno, & pro tempore existenti Ministro Provinciali Provinciae S. Didaci Mexican. Ord. Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam benedictionem.

CUM sicut dilectus filius Isidorus a Jesu verbi Dei Pradicator, & Procurator Provinciarum SS. Josephi, Joannis Baptistae, & Petri de Alcantara Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum Hispaniarum Nobis nuper exponi fecit, alias ad favorem Fratrum Provinciae Sancti Didaci Mexican. fel. rec. Innocentio PP. XII. Praedecessore nostro die 14. Junii 1700, emanavit in simili forma Brevis Litera expedita confirmatoria cujusdam Decreti Congregationis tunc existentium S. R. Eccl. Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum, per quas dispositum reperitur praecedentiam Fratris supra dictae Provinciae non solum in Processionibus solis, etiam sub propria Cruce, sed etiam in Concionibus, disputationibus, concurrentia Praelatorum, aliisque actibus tam publicis, quam privatis interveniente, vel non interveniente familia de Observantia supra Fratres Provinciae Sancti. Nominis IESU Ordinis Eremitarum S. Augustini competere; Et subinde nos praedictas Innocentii Praedecessoris literas per alias nostras pariter in simili forma Brevis die 24. Novembris 1702. expeditas literas confirmaverimus; ipse vero Josephus, ut dicto Juri praecedendi praerogativa

A quo Pontif. hic concessi, & confirmati fuerit hujusmodi jus praecedendi.

Proces. Procuratoris Provinciali Hispaniarum.

Provinciae, sicut praemittitur competenti a te, seu tunc existente illius Ministro Provinciali sine totius Provinciae consensu renunciari nequeat per nos decerni plurimum desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 1. Nos igitur ipsum Isidorum specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet inmodatus existit ad effectum presentium, dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. Ecclesiae Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum, qui dilectum etiam Filium modernum Procuratorem Generale dicti Ordinis super praemissis audiverunt, consilio, tibi, & pro tempore existenti Ministro Provinciali dictae Provinciae committimus, & injungimus, ut sine consensu Patrum Diffinitorii, & Discretorii Juri praecedentiae, de quo agitur, renunciare nequeas; Salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dicti Ordinis, & Provinciae S. Didaci, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, indulgentiis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad premissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Decembris MDCCV. Pontificatus nostri Anno Sexto.

LXXXI.

Prohibetur, ne Fratres Eremitae S. Augustini Discalcei Congregationis Hispaniae alteri Religioni adscripti habitent in ea Provincia, in qua priorem habitum gestaverint.

Const. ed. 1792, Nov. 24, Pont. 3 extat prohibitio ne duo consanguinei, vel affines in Capitulis suffragentur. Et Bened. XIII Const. ed. 1726, Jan. 22, Fone. 2 praecipitur uniformitas in cantu, barba, & Caputio Congregationis Discalceatorum.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Sacro sancti Apostolatus sollicitudo, quam meritis, licet, & viribus longe impares, auctore Deo gerimus, Nos admonet, ut conservanda Religiosorum Virorum, qui e fluctibus seculi in Regularis vitae portum confugerunt, assumptaque

Mandatum pred. Ministro Provinciali factum.

Clausula.

Dat. 16. Dec. 1705. An. 6.

Exordium.

que suavi Christi jugo Altissimi obsequiis sese devoverunt, ac uberes bonorum operum fructus per Dei gratiam proferre, jugiter satagunt, existimationi, quantum Nobis ex alto conceditur, satagamus.

Causa prohibiti.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Vicarius Generalis Congregationis Hispaniae Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini Discalceatorum nuncupatorum, quod nonnulli e dicta Congregatione ad alias Religiones etiam laxiores transfundi licentiam ab hac Sancta Sede variis praetextibus obtinere curant, eaque obtenta in illis habitum Regularem assumunt, nec non ad eas Provincias, in quibus habitum praedictae Congregationis Fratrum Discalceatorum publice gestaverant, ac cogniti, & commorati fuerant, illuc habitatum se conferunt, & ad detegendas, seu defendendas proprias imperfectiones ejusdem Congregationis Fratrum Discalceatorum, illiusque superiorum famam multis imposturis, & derisionibus lacerare non verentur, cum gravi Secularium scandalo, bonique nominis dictae Congregationis detrimento. Quare idem Vicarius Generalis Nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Proces. Vicarii Gen. praed. Congregationis.

§. 2. Nos igitur ipsius Vicarii generalis votis favorabiliter, quantum cum Domino possumus annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet inmodatus existit ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum consilio, ne de cetero quisquam, qui e memorata Congregatione Hispaniae Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini Discalceatorum post emissam in illa professionem regularem, ad aliam quamcumque Religionem quomodolibet transierit in ea Provincia, in qua Professionem hujusmodi emisit, ac habitum Fratrum ejusdem Congregationis Discalceatorum Hispaniae publice gestaverint, habitare, seu commorari audeat quovis modo, vel praesumat, auctoritate Apostolica tenore presentium prohibemus, & interdicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium.

Prohibitio, ne ad Fratres commorentur in eadem Provincia.

Clausula.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit inviolabiliter observari: sique in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definitum debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quorumvis Ordinum, Congregationum, & Institutuum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia robo-

ratis statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, indulgentiis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad premissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earundem presentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quae ipsis presentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostense.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscat. die XVI. Decembris MDCCV. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

LXXXII.

Confirmatur Decretum Congregationis Rituum de cultu immemorabili, & casu excepto pro Beatis Terefia, & Sancia Regis Portugalliae siliabus Congregationis Alcobacen. Ordinis Cisterciens. Monialibus.

Dat. 23. Dec. 1705. An. 6.

De cultu immemorabili B. Mariae de Capite vide Inu. XII Const. ed. 1697, Aug. 11, P. 7. Et hujus Pontificis Const. ed. 1710, Mar. 26, P. 10 confirmatur cultus B. Luciae de Narnia.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Sollicitudo Pastoralis Officii, quo Catholicae Ecclesiae per Universum Orbem diffusa regimini Divina dispositione praesidemus, Nos urget, atque compellit, ut Beatarum Christi ancillarum in Caelis cum eo regnantium cultum, & venerationem in terris promovere studeamus, sicut pia Regum, & Principum Orthodoxorum studia postulant, & Nos ad Omnipotentis Dei Gloriam, ad Ecclesiae decus, & praesidium, ac spiritualem Christianifidelium aedificationem, & consolationem expedire in Domino arbitramur.

Exordium.

§. 1. Cum itaque alias, videlicet die 4. Octobris 1667. a felic. recor. Clemente Papa IX. Praedecessore nostro Commissiones pro introductione causae, seu Causarum Beatificationis Beatarum Reginarum Terefia, & Sanciae Monialium Ordinis Cisterciens. clar. mem. Sancti Primi, dum vixit, Portugalliae Regis illustris natarum signatae, ac in illarum executionem die decima Decembris ejusdem anni, dicto Clemente Praedecessore annuente, literae remissoriales, attentio, quod Sedes Episcopalis Colymbrien. tunc vacabat, tunc existenti Episcopo Targen. Civitate Ulyssiponen. commoranti dirigenda pro constructione Processus particularis super cultu immemorabili praedictis Terefia, & Sanciae praescripto, & casu excepto a decretis jussu rec. mem. Urbani Papae VIII. pariter Praedecessoris nostri editis, decreta fuerint, cum facultate, quod in una demissoria ambae Commissiones includerentur. Literae vero hujusmodi, prout asserunt fuerat,

Causa Beatificationis introducta fuit 1667 sedente Clem. IX.